


**05  
A  
1804**





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-580199-p0002-7

DFG

COLLEGII MORALIS

EXERCITATIO XIV.

De

# SEMI VIRTUTI- BUS ET SEMIVI- TIIS.

DEO Opt. Max. Adjuvante

P R A E S I D E

M. MATTHÆO Grossen/

Liebst. Misnico Fac. Philos. Adjuncto.

Respondente

DANIELE LOPHO Gyllensi.

Academici exercitij gratia

placidae disquisitioni subjecto

Ad diem 29. Aprilis horis locoq; solitis.



WITTEBERGÆ,

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

---

Anno cīc id c XXX.





Σωθεῶ.



T sic methodo logicâ pertractavimus vir-  
tutes morales, que tenent medium inter  
virtutes gradum: Notum enim est TRES  
dari VIRTUTUM moralium GRADUS; Virtus di-  
stinguitur  
in tres grados  
quorum primus vocatur *incipientium*, dus &c.  
quando affectus pravi & inordinati rectæ rationi cum  
quadam lucta & repugnantia subjiciuntur, & hic pri-  
mus gradus continet in sece imperfectos habitus, seu  
dispositiones virtutum; secundus gradus est perfecto-  
rum in suo genere vel *proficientium* in gradu medio  
temperantiae scilicet, quando repressi sunt & *pacati*  
*affectus*, ut eis prædominari valeat rectæ rationis im-  
perium; Tertius est gradus virorum illustrium seu  
*excellentium*, in quibus passiones ita repressæ, ut vix  
seu rariissimè se se rationi opponant. De primo & ulti-  
mo virtutum gradu in præcedentibus egimus; super-  
est ut pariter DE VIRTUTIBUS IMPERFECTIS A  
PRIMO GRADU CONTENTIS differamus, in qui-  
bus non adeo multum insumenus temporis, cum intel-  
lectâ virtutum doctrina & semivirtutum doctrina sit  
intellecta. Tu ô Altissime, largire clementissimè, quò  
cā, quā præcedentes exercitationes ad finem perdux-  
imus felicitate, & hanç ab solvamus: Ponimus itaq;  
Propositio:

### MEMBRVM I.

Ονοματολογία.

Hujusq; Thesin I.

SEmivirtus vocatur ea, quæ in hoc perpendimus exercitio; un- Derivatio.  
de DERIVETUR pernotū: Nam inde nomen habet, quod quasi

B 2

sis

*se d'uidia virtus: Hoc enim nominis sortitæ sunt semivirtutes quod neq; propriæ virtutes neq; propriæ virtutæ sint & tamen magnam cum eis habeant convenientiam: quia appetitus vel ratio non plane dominatur, ut in virtute & vicio; sed iuxta adhuc est & dissensio rationis & appetitus.*

*Synonym.*

II. Pro SYNONYMIS habentur h̄ic semivirtus & habitus imperfectus virtutis. De HOMONYMIA nil: Pauca itaq; quia de semivirtutibus generaliter consideratis in ὀνοματολογίᾳ præcipiēda veniunt, HUC referamus NOMINALIA HORUM HABITUUM IMPERFECTORUM IN SPECIE observatorum: DIVIDUNT autem eos habitus seu dispositiones in acquisitas & naturales, has in instinctus naturales (tām divinos quam humanos) & affectiones animi probi & candidi, ad quas referunt verecundiam & misericordiam; illas sc. acquisitas despescunt in continentiam, obedientiam & tolerantiam: vid. Admod. Rev. & Excellentiss. Dn. D. Jac. Mart. in synopsi Ethicalib. 2. cap. 19. & seqq. item Clariss. Dn. Gutkium Disput. 14.

*Themata, de quibus, in sequenti- buo quæ sunt.* III. HABEBIMVS itaq; themata specialia IN SEQUENTI DISCURSI hæc 1. INSTINCTUM sc. NATURALEM 2. VERECUNDIAM. 3. MISERICORDIAM. 4. CONTINENTIAM. 5. TOLERANTIAM. 6. OBEDIENTIAM.

De quibus singulis in hoc primo membro nominalia (derivatio- nem, homonymiam, synonymiam) in sequenti verò secundo sc. realia, & in primis Definitionem, Divisionem, subjectum, obiectum & opposita, si omnia haberri poterunt & id commodè fiet, apponemus.

IV. 1. INSTINCTUS UNDE DICATVR notum: ei ÆQUI- POLLERE dicunt hæc. igniculi, fomenta, instigatio interna, insita inclinatio & propensio, affectio, dispositio ad virtutem, bona indoles Græcis εὐθυῖα ACCIPITUR non in genere pro qua via incli- natione Poetis Minerva dicta secundum hoc.

Tu nihil invita dices faciesve Minervâ.

Sive sit hyperphysica (immediatè à DEO infusa) sive phys- 2. Proprie. sica; sed pro inclinatione naturali & quidem non omni verū ea tan- túm, quæ instigat nos ad virtutem, & in hoc vel illo vehementior ac in reliquis solet esse, vid. supra de causis virtutum.

V.

*Divisio se- mi virtu- bus.*

*I.*

*Instinctus naturalis cuius.*

*Deriv.*

*Synon.*

*Hemon.*

V. 2. VERECUNDIA sequitur, quæ prout Dn Heiderus DERIVAT; dicitur à vercor, quod significat timeo, quoniam timentes pericula ea, quæ proximè verè nascerentur, immolaturos se VERE-  
vovebant: Veror autem (secundum Becmanum in originibus) CUNDIA.  
idem ac valde reor aut rem expendo: quia ea, quæ timemus, multi fa- Derivatio.  
cere & diu cogitare solemus.. Idem Becmanus de verecundia ita. Verecundia est magna opinio reprehensionis.. Cum ve, id  
est, valde, remur, hoc est putamus ipsam rem. Congruit cum illa Aristotelis descriptione, quod sit Φόβος τις αἴδοξιας. Aquibus-  
dam pro ÆQUIPOLLENTIBUS habentur verecundia, pudor, mo- Synonyma.  
destia Græcis αἰδώς Germanis Schamhaftigkeit/ Zucht. ACCI- Homon.  
PITVR verecundia duobus modis. 1. Pro affectu animi, qui est mo-  
tus ignominiae & de decoris ob factum, quod vel reipsa vel saltem  
opinione hominum turpe judicatur. 2. Pro actu voluntatis, quo  
quis sponte & voluntariè timet ignominiam.

VI. 3. MISERICORDIA aliâs miseratio, commiseratio Græcis: MISERI-  
ελε@ & οἰνηεως Germanis: Mitleiden/ Erbarmung/ Barm- CORDIA.  
herzigkeit. DERIVATUR vel à miserendo vel à miseria & corde, cum Synonyma.  
ex aliena miseria cor miserum & miserificare: Est enim agritudo Deriv.  
ex miseria alterius, injuriâ laborantis Cic. 1. Tuscul. Quid est mi-  
sericordia, nisi alienæ miseria quædam in nostro corde compassio?  
ait Augustin. lib. 9. de civit. DEI c. 5. ACCIPITUR duplici mo- Homon.  
do. 1. Pro animæ affectu. 2. Pro vi & voluntate subveniendi in- 4.  
spice & indigentiae alterius, studio & gratiâ honestatis. CONTI-

VII. 4. CONTINENTIA aliis virtus luctans item ηαταχεν- NENTIA,  
σινως temperantia; Græcis εγκρετια à continendo, id est, invitum Synon.  
& quasi repugnantem tenendo, dicta, accipitur hic non pro 1. Deriv.  
Defensionis argumentis. 2. Castitate, specie temperantiae. 3. Tempe- Homonym.  
rantia, tota, virtute scilicet, sed pro habitu imperfecto, qui cupiditates 1. 2. 3.  
voluptatum moderatur, repugnante quidem appetitu, sed tamen rectera-  
tioni succumbente.

VIII. 5. TOLERANTIA, à quibusdam patientia item con- TOLE-  
stantia; Græcis ηαεπεια; Germanis Gedult dicta, nomen habet RANTIA.  
à tolerando, id est, preferendo, & ACCIPITUR secundum Admod. Synonyma.  
Rev. Dn. D. Jacobum Martini quatuor modis, nimirum. 1. Pro Deriv.  
habitu Homonym.

*habitu virtutis*, qui ex præceptis & longo usu ortus: quo omnes calamitates, adversitates & dolores, quos depellere non possumus, magno ac tranquillo perferimus animo. 2. Pro affectu & quasi virtute nec præceptis nec usu magnopere probata. 3. Proforitudo. 4. Pro ipsa preferendi actione, quâ propriè καρτέρεσις item ἀνοχή, οὐδεον latinè toleratio dicitur.

IX. 6. OBEDIENTIA interdum universalis justitia, item virtus Græcis οὐθεία, πειθαρχία, θαυμάζειν, θαυμάζειν. dicta, DEDUCITUR & componitur ex ob&audio, mutato AU in E longum, unde veteres etiam obaudio pro obedio dicebant. Lices aliâs dupliciter ACCIPIATUR sc. 1. Pro principio proximo, per quod obtemperamus. 2. Pro actione ex eo prodeunte, hoc est pro actu primo & secundo; Tamen hic potissimum in actu primo consideratur. Vid. Adm. Rev. Dn. D. Jac. Mart. d.l.

X. Et hæc quoad Nominalia sufficient, sequuntur REALIA enucleanda in.

## MEMBRO II.

### πραγματολογία.

XI. A generali semivirtutum seu habituum imperfectorum tractatione auspicamur. Dicuntur autem affectiones, quæ non ipsæ quidem virtutes propriè sic dictæ sunt, sed tamen ad eas conducent nos, ijsq; cognatæ sunt admodum. Noster Præceptor honorandus Dn. Jacob. Mart. ita DEFINIT: SEMIVIRTUTES SUNT HABITUS IMPERFECTI SIVE διαθέσεις, QUIBUS ANIMUS TENDIT, PROPERAT, PARATUR ET EXCITATVR AD VIRTUTEM PERFECTAM.

XII. DIVISIONEM supra membro primo thesi 2. & 3. vidimus; ideo eam hic siccō præterimus pede, & statim AD SPECIALIUM, THEMATUM explanationem nos convertimus, & quidem cum bono DEO ad:

XIII. I. INSTINCTUM NATURALEM, qui DICITUR insita inclinatio & propensio ad virtutes; vel secundum Piccolomineum: INTERNA AD ALIQUID AGENDUM VEL DICENDUM VEL RECIPIENDUM FACULTAS ET INSTIGATIO; volumus autem

2.  
3.  
4.

6.  
**OBEDI-**  
**ENTIA.**  
*Synonym.*  
*Deriv.*  
*Homony-*  
*mia.*

**REALIA,**  
*de*

*Semivirtu-*  
*tibus in.*  
1.  
*Genere ubi*  
*Definitio.*

*Divisio.*

2.  
*Specie &*  
*quidem de.*

1.  
*INSTIN-*  
*CTU NA-*  
*TURALI,*  
*CUJUS.*  
*Definit.*

autem hic intellectum insinuum non divinum: Quippe qui est per nū-  
men supremum in animum hominis inspiratio; sed naturalem,  
quo ob temperamenti varietatem & distinctam corporis consti-  
tutionem, alij homines ad vitia alij ad virtutes magis vel minus  
sunt proclives & faciles.

Divisio.

XIV. 2. VERECUNDIA *Φόβος τις αδοξίας* h. est me-  
tus quidam infamiae; vel: Verecundia EST METUS DEDECO-  
RIS SIVE JUSTÆ REPEHENSIONIS OB TURPE ALIQUOD,  
QUA PERSONAM COMMISSUM, SUBJECTUM verecundiæ  
quidem sunt non tam senes quam juvenes; sed horum dici-  
tur verecundia esse non absolute sed comparate id est juvenes magis  
quam senes pudent, cum & imbecillioris judicij sint, & ferendis alio-  
rum censuri minus assueti, & frequentius aliquid humani patiuntur:  
Hinc illud Plauti: Decet verecundum esse adolescentem. SEDES  
verecundiæ est præcipue frons, oculi & facies; hinc qui pudent, o-  
culos tegunt & rubore suffusum habent vultum. DIFFERT à pu-  
dore, quod hic ob turpe verum; verecundia vero ob turpe ex opinione  
sic dictum fiat. Quoad DEFECTUM, verecundiæ opponitur  
etiam vix utrūca impudentia, quæ est destitutio omnis pudoris, per  
quam nullam infamiam aut dedecus metuimus in peccatis, &  
sceleribus perpetrandis; Quoad excessum datur κτηπληξ stupor  
seu animi consternatio, quando ea metuimus, quæ metuere & vereri  
non opus est. exempli gratiâ: Si quis pauperulus sit & suam cele-  
mopiam, nec cuiusquam auxilium imploret; item si quis inepta,  
absurda, noxia, turpia, petentibus negare erubescit.

2.

VERE-  
CVNDIA,  
cujus.

Defin.:  
SVBJE-  
CTVM.

Sedes.

Differ. à  
pudore.

Extrema.

1.

2.

XV. 3. MISERICORDIA est (defin Dn. D. Jac. Mart.) DO-  
LOR ET TRISTITIA EX ADVERSIS REBUS ALTERIUS AB MISERI-  
IMPULSU ET INSTINCTU NATURÆ DUCENS ORIGI- CORDIA.  
NEM. Clar. Dn. Gutkius intelligit ea adversa, quibus indignè &  
præter meritum quis affligitur: Nam (addit rationem) dignè & vi ju-  
stitia ubi mala contingunt, ibi misericordia locus non est; Hinc  
magis erga infantes, viduas, mente captos, pueros omni humano præsidio  
destitutos, inopes, egenos, eos, qui magnâ rerum prosperitate, qua olim per-  
fruebantur, deturbati in malorum gurgitem præcipites abripi vi-  
dentur, erga hos, inquit, magis exerceri misericordiam quam  
erga

3.

MISERI-  
CORDIA.

Defin.



**Divisio.** erga reliquos Dn. Heiderus ita DIVIDIT. Misericordia p.  
Vel est ex vicio vel ex natura vel ex virtute. 2. Vel est vera & hu-  
mana vel crudelis & belluina. 3. Vel est parcens, quæ saepe viciose  
secundum commune dictum.

**Extrema.** Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.  
Vel puniens, quæ non raro justissima & maximopere neces-  
saria. Zelum intempestivum & immanitatem pro OPPOSITO  
habet: Nam quem calamitas proximi non movet, ne homo quidem di-  
cendus est: Siquidem nulli illudendum, ob alterius incommo-  
dum non lætandum, quod enim hodie mihi, illud cras tibi: Homi-  
nes quippe sumus; humani igitur nihil à nobis alienum, sunt ver-  
ba Domini Gutkij axiom. 2. Disp. 14. Ad EXTREMA mis-  
ericordiæ referunt moliciem & indignationem, quarum hæc dolet  
improborum rebus secundis & bonorum adverbis, quos vel æ-  
quari vel hos illis postponi sine stomacho ferre non potest.

**4.** XVI. 4. CONTINENTIA definitur VIRTUS IMPERFE-  
**CONTI-** CTA VEL DISPOSITIO PROBA SEQUENS RECTAM RÀ-  
**NENTIA.** TIONEM, UT DOMINIUM HÆC OBTINEAT IN VOLU-  
**Defin.** PTATES ET CUPIDITATES LICET RELUCTANTES. OB-  
**Objectum.** JECTUM, continentia est vel internum vel externum. Internum  
vel est primum sc. ipse appetitus cupiendi honorem, decus, gloriam, nu-  
trimentum, venarem &c. vel à primo ortum, quod pertinent voluptates  
corporis, in specie eæ quæ ex gustu & tactu percipiuntur. Exter-  
num sunt vicius & amictus & res venereæ. DEFECTUS continentia  
est incontinentia, quæ definitur vitium imperfectum, quod cupiditati-  
bus voluptatum succumbit, contradicente recta ratione sed tamen ap-  
petitui cedente. DEFECTUS caret nomine.

**5.** XVII. 5. TOLERANTIA est VIRTUS IMPERFECTA,  
**TOLE-** QUA HOMO DOLORES ET MOLESTIAS, QUAS HONE-  
**RANTIA.** STE ET UTILITER DEPELLERE NON POTEST, CON-  
**Defin.** STANTI ANIMO, ET QUIDEM ITA. UT, LICET APPETITUS  
**Objectum.** RECALCITRET, TAMEN RATIONIS IMPERIUM SUPE-  
**Extrema.** RET. OBJECTUM sunt dolores perferendi. DEFECTUS est  
mollities ualanchæ, vitium nullos dolores aut labores honestatis gratiâ  
perferens, quando quis, licet aliud recta ratio suadeat, tamen dolo-  
ribus

ribus, qui ferri poterant, succumbit : Nam non ille statim mortis est, qui maximis à cruciatibus superatur. EXCESSUS est dispositio avorupos, quam quidam per pertinaciam & obdurationem nimiam in preferendis doloribus sine honestatis ratione exprimunt. 6.

XVIII. OBEDIENTIA 6. Sequitur, cuius ponimus definitionem hanc : OBEDIENTIA EST DISPOSITIO, QUA NENTIA UNUM ALTERI SUBJICITUR, IMPLENS EJUS MANDATA; vel :

Obedientia est dispositio sive constans implendi pro facultate mandata sui legitimi superioris, gratiâ honesti, & ejus quod decet. EST VEL generalis, quâ infra superioris & creaturæ creatori obtemperant; vel specialis singularum est partium, maxime verò hominis. Obedientia, quæ hominem concernit est vel externa,

quâ superiores parentes, tutores & curatores, Ecclesiæ ministri, Præceptores, magistratus Politici, patres familias, majores & Seniores, nobiles, Domini, potentiores, prudentes, fortunati imperant inferioribus, liberis, pupillis, auditoribus, discipulis, subditis, domesticis, servis, imbecillioribus, imprudentibus, minus fortunatis, illi, inquam, imperant & dominantur hisce sed modo

ratione & legibus perscripto; vel interna. quâ una facultas animæ alteri morem gerit & obsecundat. Alii ita dividunt : Obedientia est vel publica quæ respectu. 1. DEI, 2. Hominum Subjectum. consideratur, hæc est Ecclesiastica, politica, Oeconomica; vel privata.

SUBJECTUM Obedientiæ sunt omnia, quæ sub DEO, speciatim homines: OBJECTUM ea, quæ fieri possunt, debent, ab obidente. Objectum.

Sat quâ secundum membrum, plura de his qui cupit cognoscere, adeat citatos autores. Esto brevibus ob pagellæ angustiam.

### MEMBRVM III.

I. Quomodo CONTINENTIA ET TOLERANTIA DIFFERANT? Resp. dupli modo, ratione sc. 1. Subjecti : Nam tolerantia irascibilem dirigit appetitum; sed continentia concupisibilem. 2. Objecti : siquidem continentia circa voluptatem; sed tolerantia circa dolorem versatur.

B

2. Qui

2. Qui semivirtutes possint esse dispositiones & habitus? Habitum dicuntur, quatenus hi accipiuntur analogice: Ideo determinantur per terminus *imperfectionis*: Dispositiones vocantur: quia non sunt meræ potentia.

3. An INTEMPESTANS INCONTINENTE DETERIOR: A. Nam intemperans est habitus propè incurabilis & à levissima voluptate movetur; sed incontinentis non nisi à vehementioribus movetur voluptatibus & facile sanari potest. Hæc sufficienter quâ quæstionis, reliqua referimus ad.

## MEMBRVM IV.

### εἰωθατολογίαν.

1. Continentia differt à pertinacia & temperancia.
2. Incontinentis concupiscentiæ deterior incontinentie iræ.
3. Tolerantia à fortitudine differt.
4. Verecundia est radix virtutum.
5. Obedientia est preparatio & causa impulsiva ad reliquas virtutes: Nam.
6. Stante honore, & obedientia inferiorum erga superiores, virtutes facile observabuntur.
7. Obedientia est summè necessaria, digna & utilis.
8. Verecundia. 1. Non est virtus. 2. Est pudor ante peccatum. 3. Pœnitentia est post peccatum. 4. Est flos & timetura virtutis: Nam: Erubuit salva res est.
9. Impudentia radix omnis vitiij.

DE O nostro Laus, Honor & Gloria.

*Ad Praestantissimum.*

Dn. Respondentem.

*Amicum meum dilectum.*

P Orcius Upilio, Mango, Ambubaja Balatro,  
Fulloq; , & è plebis furfure Bucco rudis:  
Et quos tonstrina, & sutrina coërcet, Alumni  
Forpicis, atq; picis, Vestificesq; Viri:  
Ethica Virtutum Morumq; peculia, nullâ  
Discernunt census sedulitate sui:  
Et sapiunt multum, si Diis placet, atq; per Orbem  
Plus hodie Farris, plus & honoris habent;  
Quàm quibus aureolis licet esse audireq; corclis  
Et veri obtutu proximiore frui.  
Ergo quid, è nostris Lophe chare sodalibus, audes  
His super, omnigenis anxius esse modis?  
Cum sapere illorum, non sit labor altus apisci,  
Hoc est delirâ de sanguis lyrâ,  
Sed sapient, habeantq; sibi sua farra, decusq;  
Et sint præ doctis Beta, salixq; Viris.  
Nos aliud contrâ, queis ritè sinistra mamilla  
Subsilit, æterni perpes imago DEI,  
Infessi experiamur, & Ethica castra colamus,  
Quondam operæ preciū postuma turba dabunt.  
Quod facis, egregias Lophe perge fideliter artes.  
Non poltu Clarii Beta futurus agri es.

*in benevolentia et testationem i.m.g scrib.*

MARTINUS NESSELIUS  
Weißkirchâ. Moravus.



Quid tibi votivo hoc precer aſmate, dulcis Amice,  
Præter quam vite ſtamina longatue?  
Hæc tibi tantum adſint: Tuus indolis ardor amene  
Cetera Pegaseſ ſuggeret auctus ope.

f.

ZACHARIAS MARTINIUS  
Horzovino-Bohemus.

F I N I S.



OSA 1804

ULB Halle  
003 787 273

3




VO/A





**Farkkarte #13**



COLLEGII MORALIS  
EXERCITATIO XIV.

De  
**SEMI VIRTUTI-  
BUS ET SEMIVI-  
TIIS.**

DEO Opt. Max. Adjuvante,

P R A E S I D E

**M. MATTHÆO Grossm/**

Liebst. Misnico Fac. Philos. Adjuncto.

*Respondente*

**DANIELE LOPHO Gyllensi.**

*Academicij exercitij gratia  
placidæ duquisitioni subjectus*

Ad diem 29. Aprilis horis locoq; solitis.



*WITTEBERGÆ,*

Typis hæredum **CHRISTIANI THAM.**

Anno cccccc XXX.